

QVOD  
DEUS OPTIMUS MAXIMUS,  
RERUM HUMANARUM STATOR ET ASSERTOR UNICUS,  
*SERENISSIMÆ DOMUI AC GENTI*  
**BRANDENBURGICÆ,**  
OMNES OMNIUM INTER SE MAXIMARUM  
DOMUUM PARITER ATQUE GENTIUM  
GLORIAS AUT ÆQUANTI AUT SU-  
PERGRESSÆ,  
*CUM PRIMIS VERO PRINCIPATUI HUIC LAUDATISSIMO,*  
*CHARISSIMÆQUE PATRIÆ*  
PERPETUO-BENE AC FELICITER VERTATI  
*SUB*  
EIVSDEM ÆTERNI NUMINIS AUSPICIIIS,  
*ANNOENTE AC IMPERANTE*  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DNO,  
**DOMINO**  
**CHRISTIANO**  
**ERNESTO,**  
MARGGRAVIO BRANDENBURGENSI,  
MAGDEBURGENSIUM, PRUSSORUM, STETINENSIVM, POME-  
RANORUM, CASSUBIORUM, VANDALORUM, UT ET CROSSEN-  
SIUM ET JEGERNDORFENSIVM DUCE, BURGGRAVIO NORIN-  
BERGENSI, PRINCIPE HALBERSTADIENSIVM, MINDENSIVM ATQUE  
CAMINENSIVM: S. MAIESTATIS CÆSARÆ IN CASTRIS RHENANIS  
PRODUCE ET CHILIRCHO EQVITVM  
INCLYTO:  
*PRINCIPE AC DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO.*  
CELSISSIMI PRINCIPES AC DOMINI,  
**DN. CHRISTIANUS HEINRICUS,**  
**DN. CAROLUS AUGUSTUS,**  
MARGGRAVII BRANDENBURGENSES,  
PRUSSIÆ DUCES ETC,  
*FRATRES GERMANI,*  
ORATIONES  
*DE*  
**BELLI PACISQUE ARTIBUS**  
PRINCIPI NECESSARIIS,  
PROMTA HABEBUNT E MEMORIA,

HOCQUE LABIO LATIALI,  
ET IN ILLUSTRIS  
CHRISTIAN-ERNESTINI  
COLLEGI  
ACRO-TERIO MAJORI,  
AD DIEM XII. JUNII, HORA IX. MATUTINA.  
AD QVAS AUSCULTANDAS  
AUGUSTAM

IPSIUS SERENITATIS SUÆ  
PRÆSENTIAM

DEVOTISSIMIS HUMILLIMISQUE AMBIT PRÆCIBUS:

NEC NON

GENEROSOS, PRÆNOBILISSIMOS, SUMME-RE-  
VERENDUM, NOBILISSIMOS, MAGNIFICOS, CON-  
SULTISSIMOS, PLURIMUM-REVERENDOS, EXCEL-  
LENTISSIMOS, PRÆCELLENTISSIMOS, AMPLISSIMOS,  
GLARISSIMOS, EXIMIOS, DOCTISSIMOS

VIROS,

OMNES SIGILLATIM, SINGULOS CONJUNCTIM, QVOS  
BARUTHUM FOVET, LITERARUM, ET ILLUSTRIS CHRI-  
STIAN-ERNESTINI NOSTRI MOECENATES, PATRO-  
NOS, DIRECTOREM, FAUTORES, ASSERTO-  
RES, CIVES;

ET SEORSUM GENEROSISSIMOS DOMINOS BARONES,  
DN. DE WELZ ET DN. DE STEIN, CONCIVES  
NOSTROS PER-EGREGIOS:

EO, QVI MERITIS, DIGNATIONIBUS, NOMINIBUS  
IPSORUM DEBETUR, CULTU, HONORE, STUDIO, AC AMORE  
VITAM OMNEM PROSEQVENDOS,

PUBLICO ISTHOC INTERNUNCIO,

CEM RECIPROCA SERVITIORUM OFFICIORUMQUE PERENNIIUM NUNCUPATIONE

INVITAT,

M. JOACHIMUS HEINRICUS Hagen/  
ELOQVENTIÆ, POESEOS AC MATHESIOS  
INIBIDEM PROFESSOR PUBLICUS.

# LECTORIBUS UNIVERSIS

*Salutem, & exoptatos Vitæ ac Captorum successus!*



**V**TI duo dantur tempora, quibus aut in pace compositō, aut turbatō inter belli motūs rerum statu, communis multorum incolumitas se tractandam tuendamve offert: ita duæ omnino celebrantur artes, quas versandas ac pernoscendas sumserit, quisquis publicam pro istâ meditatur curam; una *militaris* seu *bellica*, quâ hostiles abarcentur injuriæ; altera *civilis*, & ut olim audiebat, togata, cujus operâ & suggestu Respublicæ, optimis temperatæ legibus, omnīs generis bonis & commoditatibus affluunt. Harum neutram sine literis & doctrinis liberalibus, unō qualiscunq; fortunæ ac virtutis facillè comparandæ mediō, totam ac perfectè obvenire certum est. Nam si eminentis & Heroici facinoris gloriam non tam lacertis, quàm mentis generositati asserimus, virtutemq; non corpore metimur, sed animō; atq; satius ducimus incompositos hujus cohibere motus, quàm per ordinatas hostium acies rumpere: quod si insuper publicam populorum salutem in legibus esse ac consistere credimus, prudentiamq; pro necessario imperatoriæ Artis instrumentō habemus: ecquis, etiam tenui saltem judicandi facultate præstans, non intelliget, quantoperè utriusq; Artis supra celebratæ consecutioni bonæ artes ac literæ commodent? ut quæ, *Senecâ* teste, *veræ præjacent Virtuti*, atq; ad excellam Regalis scientiæ arcem, prudentiæq; solum promptæ viam muniunt. Quorsum etiam evadit clarissimi Consulī & Equitis Romani, *Marci Tullii*, hæc in verba missum judicium: *Literarum monumentis & res bellica, & omnis Reipublicæ disciplina cognoscitur*. Quandoquidem verò literæ, sive artes liberales, sine certō ac probatō Studiorum duce, vix tractantur commodè, & cum successu vel profectu aliquō; tanti tamen interest, has rectè ab eō percipi, qui excellâ Domo, adeoq; *Publico Bono* editus, vel unam earum, quas prædicavi, artium, vel utramq; calle re tenetur: utiq; vehementer expedit, si maturè certi Studiorum Rectores formatoresq; mentium Principali & in Purpurâ natæ Juventuti admoventur.

Cui rationi attendentes præstantissimi omnis ævi Principes, Heroësq; maximi, liberos, quamprimum exire de gremiō, & intelle-

Etum disciplinarum capere poterant, non modò pluribus exploratæ moderationis ac doctrinæ Magistris, in omni, quâ Publicum juvatur, arte instituendos excolendosq; committere: Sed & ulterius inclytum quendam & spectatâ virtute Virum, ex eminenti Purpuratorum vel Senatorum Ordine, his ipsis Rectorem, Inspectoremque apposuerunt. Id quod in Alexandri M. educatione à Philippo Patre observatum *Plutarchus* auctor est, dum cum ceteris illius vitæ monumentis simul prodit, cum plures hujus voluntate in isto instituendò viri docti elaboraverint, maximè Aristoteles & Lysimachus, unum omnibus impositum fuisse Leonidam, qui honoris ergò *Reſtoris regie institutionis* titulò eminuerit. Nec ambiguè quis ab eodem fonte laudatissimum apud Perlas morem, in hæredibus Imperii ejus rectè educendis olim usurpatum, derivaverit. Erant autem ibi tres ex omni Sapientum numero selecti, & cum pari potestate præfecti Regiæ pueritiæ Formatores, quorum unus virtute ac vitæ sanctimoniâ eminens, ad bonos mores cum necessariâ religionis notitiâ in animum illius inducendos; alter doctrinâ & artibus insignis ad ingenerandam optimæ cujuscunq; artis intelligentiam, prudentiæq; habitudinem; tertius multiplici rerum & armorum usu excellens ad fortitudinem & belligerandi dexteritatem suscitandam tenebantur: quibus vel ipse Pater, vel alius ex Optimatibus peritior, singulis disciplinæ momentis adjiceris oculos, ingenti gravitate præsidebat.

Nec jam multus ero in adornando vel fortissimi Græcorum Achillis, Pelei, Thesalorum Regis, filii, vel summi Atheniensium Oratoris Ducisve Periclis, vel Epaminondæ excellentissimi Thebanorum Imperatoris, vel alterius cujusdam ex Heroibus illis præcis, educationis elogio. Neq; nunc animò sedet Romanæ amplitudinis incunabula & fulcimenta, elegantissimas Scipionum, Pompejorum, ipsorumq; Cæsarum, accrescentis ætatis operas, singularibus laudum conspergere floribus: Quorsum enim attinet è longinquò Principalium educationum arceslere specimina, cum satis ampla ejus rei documenta in BRANDENBURGICÆ GENTIS disciplinâ hætenus emicuerint. In quibus meritò vel cumprimis hic annumeramus *Serenissimum Principem ac Dominum, DN. CHRISTIANUM ERNESTUM, Marggravium Brandenburgicum, Magdeburgensium, Prussorum, Stetiniensium, Pomeranorum, Cassubiorum, Vandalorum, ut & Silestorum, Crosfensium ac Jegerndorfensium Ducem, Burggravium Norinbergensem, Principem Halberstadiensium, Mindensium & Caminensium, S. Cæsareæ Majestatis in castris Rhenanis Producem, & chiliarchum equestrem inclytum, Principem ac Dominum nostrum clementissimum.* Etenim non Ipse modò

dō admodum adolescens in disciplinam traditus, liberalis doctrinæ studia tantō dignatus est honore, ut eadem singularis exempli auctoritate denuō commendaret orbi, dum conceptam animō boni Principis imaginem frequentissimo Argentinensium auditorio pulcherrimè explicavit; Sed & Illustrissimos Juventutis Patriæ Principes, tergemina illa cognatæ Stirpis Germina, elegantissimumque præpotentis DOMUS SUÆ incrementum, Celsissimos inquam Principes ac Dominos, DN. ERDMANNUM PHILIPPUM, DN. CHRISTIANUM HEINRICUM, DN. CAROLUM AUGUSTUM, omnes Marggravios Brandenburgicos, Magdeburgensium, Prussorum &c. Duces, &c. &c. Fratres Germanos, Patruales Sibi tam tenerè, tam liberaliter, tam gratiosè hæcenus habitos, ut Celsissimi Parentis, præmaturè denati vicem Eis, haud simplici propensissimæ mentis declaratione, abundè reddiderit, Hos, inquam, Principes Juvenes perclementer vult eundem, quō Ipse olim ad eam virtutis & gloriæ magnitudinem, quâ totum in se orbem convertit, generosè perrexit, carpere tramitem, eandemq; ad dignationis metam excellō collimare animō. Idq; sub fidissimâ, quâ quondam Ipse quoq; tantoperè provectus est, Inspectione, Viri Summè-Reverendi ac Prænobilissimi, Domini CASPARI à LILIEN, Hæreditarii in Wainendorf, &c. Serenitatis Ejus Consilarii intimi Ecclesiastici, Consistorii Præsidis, & Maggraviatûs hujus Generalis Superintendentis, utpote Cujus præterea curæ atq; fidei pretiola hæc deposita, à Celsissimâ olim Matre, ubi in extremis constituta, nihil præter cælum, quò abitum maturabat, & hæc rarissima Principalis thori pignora entheō volveret pectore, sanctissimè credebantur; manu ducentibus, quod præfiscinè dixerim, inter alios me, & Viro Præclarissimo, Dn. Ernesto Friderico Fischerō, qui jam à plusculis annis Duorum, è Celsissimâ illâ Trigâ, Principum minorum, fidelissimâ Informatione defungitur.

Quo nomine certè maximas ac immortales SERENITATI SUÆ florentissimi hi agnatæ Stirpis Surculi debent gratias, ut quos arctus ille pietatis complexus, provilusq; educationis hujus Suxæ decentissimus, haud parum in istâ suâ solitudine solatur, & ad sublimia quæq; indies magis magisq; excellenter provehit. Neq; dubito, quod verè Heroica & excelsa suadet indoles, quin ejus perpetuō memores eò omnes curas cogitationesq; collaturi sint, quò tantæ benignitatis indulgentiam novis subinde generosissimarum contentionum virtutumq; speciminibus amplissimè promereantur. Sed & pares debent universi Marggraviatûs hujus subditi cultores, ac cives Patriæ omnes, quorum in subsidium salutis, stabilimentum Principalis Domus, incolumitatis columnen, amplissimumq; futuræ felicitatis accre-

crementum, isthoc onerosum educationis hujus opus in humeros olim susceptum, & hucusq; sollicitè exantlatum est. Debet etiam *Serenissima Domus Brandenburgica*, Cui in exasciatâ horum Principum vitâ ætateq; novæ splendidissimorum nominum adoreæ, atq; instaurata gloriosissimarum expeditionum monumenta jam parata sunt. Debet deniq; tota, quâ patet, Germania, quæ recentibus per Ipsos, ut confidimus, cumulabitur meritis, atq; in multis præclare adjuvabitur. Singulares tamen ac propè inenarrabiles SERENITATI SUÆ gratias Illustre CHRISTIAN-ERNESTINUM Suum debet, ut quod præter ingentia Superiorum, quibus efflorescit, annorum beneficia & imputata ornamenta, hõc jam insigni aliõ & omninò rarõ, clementissimè maclare parat, dum perendiè DUOS, ex superiùs reverenter inductâ *Celsissimorum Principum Patruelium Triade*, in Cathedrâ laudati Collegii, *Oratorum* munera obeuntes, & de ARTIBUS BELLI PACISVE PRINCIPI NECESSARIIS, egregiè differentes, me accurante præsentari curabit. Enim verò, qvo pacto, ô Concives mei optimi! tantum PHOEBI huius nostri favorem, quo tantoperè Athenæum nostrum Sibi dignandum esse censuit, remerebimur? quâ quæso ratione, quas debemus, referemus gratias? Ita sanè, si quid judico, justissimè, cum toti in vota resoluti atq; preces identidem inclamaverimus: *Vivat CHRISTIANUS ERNESTUS, Princeps inclytus, & eosdem olim concredite Virtutis ac Doctrinæ auctus in proprio experiatur sanguine! Vivat, & videat eadem in suâ, & Virilis Sexûs prole, disertis oris specimina, in eõdem quidem hõc, quod suscitavit, Gymnasiõ!* Quas inclamationes in omnium Collegii nostri civium mentibus ac linguis versantes, ut qui cuncta pollet, ratas habeat præstetque, omnes vehementer contendimus. At Vestrum ORATORES CELSISSIMI, tam eminens propensi in Nos & Studia nostra amoris monumentum, isthoc egregium præaltæ indolis specimen, quibus fodes prosequemur plausibus? quæ donaria consecrabimus tam illustri profectuum Vestrorum documento, tam pulchro Artium, quæ in *Vobis* germinant, elogio? Romanos accepimus, Germanico, quòd inter Oratores conspectus esset, clypeum ex auro, reliquos magnitudine excedentem, censuisse ponendum in eo Curiaæ loco, ubi imagines Virorum eloquentium dicatæ asservabantur. Nimirum tantò ceteris Oratoribus habebatur excellentior, quantò generis nobilitate antestabat cunctos. Nos equidem non sedemus in aureâ illâ messe, quæ Romanis olim è tot proveniebat coloniis; quin temporum iniquitate penitùs depauperatis nihil, quod ex auro statuamus, superat. Vicem tamen ejus referet Tabula, quam in Memoriaæ templo his sacrabimus verbis:

PARL.

PARI,  
PRINCIPUM. JUVENTUTIS. PATRIÆ.  
FLORENTISSIMO,  
DOMINIS,  
DN. CHRISTIANO. HEINRICO.  
DN. CAROLO. AUGUSTO.  
FRATRIBUS. GERMANIS.

PULCHERRIMIS. BRANDENBURGICÆ. STIRPIS. GERMINIS.  
CERTISSIMIS. AVITORUM. DECORUM. HÆREDIBUS.  
VERIS. AGNATÆ. VIRTUTIS. ÆMULIS.

PRO. SINGULARI. IN. LITERAS. AC. LITERATOS. AFFECTU,  
SIBIQVE. HABITO. HONORE.

QVO.

IN. CATHEDRA. MINERVII. SUI. SEMET. ELEGANTER. EXHIBENTES.  
ORATORES. VISU. AUDITUQVE. VENERABILES.  
PRÆSIGNE. GLORIOSORUM. AUSUUM. PROPECTUUMQVE.  
EDIDERE. SPECIMEN.

HOC.

BONÆ. RECORDATIONIS. DEVOTIONISQVE. SUÆ. MONUMENTUM,  
SUB. ISTO. VOTO.

UT. QUÆ. DIXERE.

E. A. NUMEN. OPT. MAXIM.

SERENISSIMÆ. FAMILIÆ. PATRIÆQVE. NOMINIQVE. GERMANICO,  
BENE. VERRUNCET.

IPSORUMQVE. STUDIA. BONIS. AUCTIBUS. AUXIT.

EOSQVE. SALVOS. INCOLUMESQVE. PRÆSTET.

ET. QUAS. IN. PRINGIPE. EXPOSCERE. DOTES.

EIS. IPSOS. UBERARE. FACIAT.

F. P. Q. C.

UNIVERSI COLLEGII CHRISTIAN-ERNESTINI  
C I V E S.

Ad hanc itaq; Panegyrim præsentia suâ condecorandam, ut antè intima-  
tô locô temporeq; confertim affluant, quotquot urbs hæc habet Literarum  
Promotores, Propagatores ac Cultores, submissè, observanter ac officiosè  
rogo, contendoq; ; aliis haud ulus rationibus, nisi quas cultus & venera-  
tio versus *Celsissimos* hosce Oratores unicuiq; dictitabit. Perscriptum  
die 10. Junij, Anno Orbis per Christum recreati, M. DC. LXXVII.

---

BARUTHI,  
LITERIS JOH. GEBHARDI.